

בשם אלהבוּ

# שְׁבִיחַמְאָה חַדְרָלִים

Seu

DE DUOBUS *illis* LUMINARI-  
BUS MAGNIS

*Mosaicis, eorumque Eclipsibus,*  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA,

*Quam*

Ex consensu Ampliss. FAC. PHILOSOPH.  
In Reg. ad Auram Musarum Palladio,  
Sub TUTAMINE,

*Viri Adm. Reverendi & Præcellentissimi,*

Dn. M. DAVIDIS LUNDI

L.L. hactenus Oriental. jam vero Regiis  
litteris confirmati S.S. Th. Prof. Ord.  
Præceptoris & Promotoris re-  
verenter colendi.

*Pro Honoribus Philosophieis rite consequendis,*  
*publicè ventilandam proponit*

HENRICUS O. BONERUS, Biörneb.

*d. 27 Nov. A. 1697. loco horis jij consuetis.*

Impr. apud JO. WALLIUM.

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

19.11.1892

Ad Virum Juvenem,

PerEximum & Præstantissimum,

DN. HENRICUM BONERUM,  
Philosophiæ Candidatum meritissimum,  
Amicum & Commilitem meum dile-  
ctum eximiè , cum pro conseqvendis  
summis in Philosophia honoribus,  
solerter disputaret,

GRATULATIO:

Spiffas damnato tenebras , ample-  
ctere lucem,  
Ceu BONERE facis , suspectans lumina  
cœli ,  
Sydereasque faces inter , par nobile si-  
stens.  
Id Te solenni qvondam splendore  
beabit,  
In terris clarus rutilabis cum arte Ma-  
gister,  
Atque polo nitidi fulgebis sideris instar.

Quam L. Mj. licet occu-  
patissimus adjeci

DAVID QUIND.

In  
Candidatum philosophiae PerEximum  
Dn. HENRICUM BONERUM,  
cum de,  
LUMINARIBUS  
ex Mose h. e re verâ  
MAGNIS,  
Disputationem Inauguralem,  
ad orthodoxiam naturæ & revelatio-  
nis compositissimam ederet;

Dum tibi SOLIS equi volitant; Mem-  
phitidos aula,  
Herculus, adfirmat, te rapuisse thro-  
num;  
Dum mox aetherius LINÆ convolvitur  
Orbis,  
Mercurii solio te statuisse placet:  
Sis utriusque potens! tantum non sede su-  
pernâ  
Clavigerum prohibes: Lenior esse potes!  
festinus sed officiolâ crenâ  
ludebam

JO: RUNGJUS.



Spiritus alme veni, & linguamque animumque  
gubernas,  
Ut tibi quod gratum est, proficuumq; loquar!

Eis o d G.

**A**llustissimum illud, augustissimi atque  
eterni Imperatoris, DEI nimirum  
palatum, quantâ militia, & quidem  
in certas classes distinctâ, cinctum sit; Quot  
etiam Alphabetum hocce, ceu quidam magni  
nominis Theologus cælum cognominare voluit,  
majusculis quasi literis, h.e. constellationibus,  
stellis ac astris sit exaratum; quilibet, qui  
cum Anaxagorâ eis θεωρίαν ἡλίου, σελήνης  
τε καὶ ἥλιος, seu quod idem, solis, lunæ &  
cœli videndi causa, se in hunc Mundum na-  
tum esse arbitratur, clare percipere potis est.  
Sidera quippe, rerum omnium conditum à se  
creata, in expanso collocavit, tanquam Horo-  
logia universo mundo conspicua, quorum flu-

A

xibus

xibus & agitationibus perpetuis, rerum dura-  
riones metiremur, tempusque in partes priores  
& posteriores præteritum puta & futurum;  
in maiores item & minores, Annos scilicet,  
menses, dies & horas distingueremus. Nec ul-  
lum, si hominem, cui e meliori luto fecit præ-  
cordia Titan, exceperis ex aspectabilibus DEI  
operibus ferè est, ex quo Creatori illustrior  
surgit gloria; gloria, inquam, sapientiae, boni-  
tatis & potentiae, quam ex stellis. Illæ etenim  
omnes, sive mentio instituatur de fixis in o-  
ctava sphæret, ut Astronomi amant loqui, lo-  
catis stellis, quas nos jam brevitatib[us] litantes  
prætervehimur, sive etiam de Planetis, boni-  
tatis Divine sunt famulae, sapientiae luci-  
dissima specula, quin & maximæ potentiae  
maximus, juxta certos gradus atque ordines  
distinctus excercitus. Inde quoque est, quod,  
Rex solet inter subditos, Sol dicitur præstare  
inter planetas; imo ut Regem in populi me-  
dio sedentem, Majestatis suæ radiis omnes il-  
lustrare & jura dicere fas est: sic & solem in  
medio Planetarum dominari, iisque quasi mo-  
nium leges prescribere & inferiora moderari

par est. Ministeria, quæ inter reliquos Planetas Regi huic præstantur, nonnulli ita distribuunt: Consiliarium statuentes Saturnum, ob senectutem; Jovem judicem, ob magnanimitatem; militiae dux iis dicitur Mars ob ferociam; Uxorius nomine venit Venus ob pulchritudinem & benignitatem; Cancellarii & Scribe vicem obit Mercurius, ob singularem quandam prudentiam ac solertiam; Nuncius tandem salutatur Luna ob cursus velocitatem. Mibi igitur cum adhuc incumbit aliquod exercitium Philosophicum, jussu Amplissimæ Facultatis Philosophicae ad normam & tenorem Constitutionum Academicarum edere; Lubet hac vice Regalem hunc Planetarym confessum scrutari, ipsumque Regem seu Ducem, videlicet Solem, cum suo velocissimo nuncio, Planetas, quos Moses non tantum habitâ ratione motis sed & lucis Genes. 1. v. 16. luminaria magna appellat, ob Eclipses ad examen provocare. Sic itaque:

MO-

## MOMENTUM PRIMUM.

**A**nquam rei arcem invaserimus, subjuncturis nobis περιμαθλογίαι, η ὄντη μαθλογία instar statuꝝ mercurialis ad monitum philosophi l. 6. Eth. 3. heic erit præmittenda, qvæ absolvitur (α) Etymologiâ (β) Homonymiâ (γ) Synonymiâ.

Sed ut à vocum exordiamur επωμοῖς. (α) Sol, ut Cicero inquit de Nat: Deorum, dictus, vel qvia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel qvia cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet. Malunt alii ex græco σέλας deducere, qvod splendorem significat: Est enim sol omnium siderum splendidissimus. Græcis ἥλιος appellatur qvod nonnulli haud malè derivant ex Hebraico הַלְלָה lucere, splendere, in Hiphil הַלְלָה splendere fecit: unde הַיְלָל Efai: 14. 12. Hebræis stella matutina appellatur. Lunam verò cujus ἔπυμος multiplex tradi solet, nonnulli à

lucendo dictam volunt. Hinc Varro, Luna, quod noctu lucet, unde noctiluca dicta. Alii à latino luo, vel Græco λύω qvod est lavare, purgare. Græcis est μήνη à מְנֻחָה numerare, qvia mentes nobis qvasi numerat. Σελήνη à σέλας, qvod fulgorem significat. Hebræis כַּרְיוֹ אֶרְוֹת ( ut nonnullis videtur ) respirare, recreare. Unde Plinio Auctore luna existimata Mundi spiritus l.2.c.99.qvamvis rectius à radice Arabica deducatur.

(β) ὄυανύμως sol non potest considerari nisi tantum in plurali, ubi soles exponuntur per radios solis. Ne quidem luna laborat aliquâ æqvocatione.

(γ) οὐονύμως autem ubi consideratur sol, habet quidem plura alia ισοδυναμῆς vocabula e. g. sol appellatur ab Orpheo, oculus mundi, oculus cœli; ab Heraclito fons lucis cœlestis. Luna pari modo alio nomine cluet Noctis humorumque Domina, item minimus atque infimus Planetarum. Conjunctim verò sol & luna appellantur à Mose luminaria magna.

**SECUNDUM MOMENTUM.**  
 Præmissâ itâ plenioris evidentiæ ergo explicatione Nominali, recto tramite, juxta methodum in philosophiâ receptam ad περιηγητικῶν seu definitionem realem, ejusque evolutionem accessum facimus; qvam & soli & Lunæ per omnia fermè competentem cum Accuratioibus naturæ scrutatoribus, hunc in modum exhibemus:

*Sol & Luna sunt corpora Naturalia Respectivè simplicia, lucidissima, globosa, semper mobilia, ex luce primigeniâ ad salutem inferiorum producta.*

Ex qvâ Definitione aut potius descriptione emanat perpendendus duplex conceptus, prior convenientiæ, seu ipsum genus, & inconvenientiæ alio nomine Differentia specifica. Illud constituunt remota corpora naturalia simplicia, proximè respectivæ simplicia: Hæc autem desumpta est à qvatuor causis & affectionibus eorundem, de qvibus singulis, ut paucis agamus, evolutas ratio postulare videtur.

Se- I.

## SECTIO I.

**E**fficientem itaque cum solistum Lunæ, qvæ physicis dicuntur, & quidem recte, species monadicæ, non minus ac cæterarum stellarum facimus Deum T. Opt. Maximum cuius nutu:

*Prima dies cœlum, terram, lucemque  
creavit Ec.*

*Quarta autem solem, lunam, cœlestiaque  
astra.*

*Quibus versiculis etiam Moses ad stipulatnr  
expressis verbis Gen. i v.16 dicendo: Fecit  
DEUS duo luminaria magna, luminare  
majus ob Dominium diei, & luminare mi-  
nus ob dominium noctis, & stellas, & po-  
fuit eas in firmamento cœli, ut illuminare  
terram, atque præcessent diei ac nocti: &  
vidit DEUS, quod esset bonum, fuitque ve-  
spera & manè quartus dies.*

*Quamvis autem adeo manifesta mo-  
do à Moše citata verba sint, ut inco-  
lumi fronte & pietate salvâ, contrarium,  
Christianorum nemini liceat statuere;  
avulnéravos tamen nonnullis arridet,  
præ-*

præsertim qvâ tempus creationis stellarum adeoque solis & lunæ. Delirant namque æterna esse astra; Pagani vel ad minimum ante quartum diem, sive secundo sive ipso primo creationis creata esse, eoque ducti sunt vi Argumentorum seqventium (α) Posito effecto, Necesse est causam esse vel fuisse: Atque primis tribus diebus creationis, fuit dies. E: etiam iis causa quoque diei scil. sol fuit: proindeque non quarto demum die sequitur solem esse creatum. (β) Effectus non potest, secundum logicos, esse sine causa: At tertio creationis die fructificatio & fœcunditas plantarum, qvæ nisi à solis calore esse non potuit, existit, E. ante quartum diem solem fuisse palam est. (γ) simplicia & incorruptibilia corpora tempore sunt priora compositis atq; corruptilibus: At Astra simpl. &c. E. priora omnino fuerunt plantis, corporibus compositis ac corruptilibus. Verum enimvero ad ficulnea hæc villa profliganda, duo, ut notentur, ne-

necessum est, Axiomata: 1. à naturâ  
 jam constitutâ & ordinatâ, ad naturam  
 demum constituendam, argumentari  
~~à~~ & absconum. Ratio hæc est,  
 qvia in ipso creationis opere mediis  
 & causis naturalibus DEUS se minimè  
 alligavit: Qvæ igitur ab ordinariis &  
 naturalibus causis jam peraguntur, ea  
 etiam sine hisce, extraordinariâ qva-  
 dam potestate à DEO fieri potuisse o-  
 mnino credendum est &c. 2. Deus pro  
 sapientissimo & impervestigabili suo  
 consilio, in creandorum productione,  
 non excellentiam aut simplicitatem spe-  
 ñavit, sed liberrimæ suæ voluntatis be-  
 neplacitum & infinitæ potentiaz laudem:  
 Respondemus, jam præmissis iis præ-  
 mittendis ad 1. & 2. consequentiam e-  
 orundem negando; falsa enim nituntur  
 hypothesi: Omnem diem & omnem  
 fœcunditatem à sole esse, sive tan-  
 dem de constitutâ sive de constitu-  
 endâ naturâ sit qvæstio 3.<sup>o</sup> autem  
 Antagonistarum argumento, vi secun-  
 di axiomatis occurrere placet, DEUM

scil: pro sapientissimo suo consilio, non simplicitatem ne qvidem præstantiam corporum respexisse, qvin potius propriam omnipotentiæ laudem; ut qui hoc ordine ad secundas & naturales causas se minimè adstrictum esse ostendere voluit. Tantum de causa efficiente.

## SECTIO II.

**E**xcipit nos jam Materia solis atque lunæ, quam esse lucem primigeniam, hoc est, substantiam lucidam primo creationis die à DEO ad noctis & diei discrimen factam, unâ cum in summâ dignitate constitutis Theologis, clarissimisque Physicis asleverare non ambigimus; quoniam terminus creationis erat substantia. Illa autem scilicet lux primæva erat terminus creationis. E necesse est illam substantiam fuisse contra Danæum, Hurtadum, Delrionem juxta ac Molinam existimantes in sole, Lunâ & reliquis astris, tanquam vasis collectam fuisse lucem illam primo die conditam, unde quoque arreptâ occasio-

fione rationibus duabus suffulti, pri-  
ori scilicet ex Gen. i. petitâ argumen-  
tantur lucem distingvi posse à corpore  
luminoso; ideoqve per lucem intelligi  
simplicem qualitatem. Antecedens ar-  
gumenti conantur probare eo, qvod o-  
pus primi diei lux appelletur; qvarti  
autem ex adverso luminare: Ast nos  
respondemus negando lucē hicā lumino-  
so corpore; verum à luminari, id est,  
à stellā distingvi. Luminosum nam-  
que corpus ad stellam se habet ut ge-  
nus ad speciem: sub qvo genere lux  
qvoque, qvæ à stellā non secus ac ma-  
teria differt à suo materiato, compre-  
henditur (2.) conantur evincere lucem  
primævam fuisse puram putam, sibi-  
que relictam simplicem qualitatem hoc  
paralogismo: Corpus lucidum non est  
dies; Ast lux primi diei fuit dies: sic  
enim à DEO appellatur v. 4. E lux pri-  
mi diei non fuit corpus lucidum, neque  
per conseqvens aliqua substantia, sed nu-  
da qualitas: Verum ad ejusmodi ~~accusa-~~  
~~tionis~~ responsio est in proclivi; et si cor-

pus lucidum non est dies propriè: est tamen impropriè *καθ' ὑπελλαγὴν*, seu per metonymiam causæ, qvia motu suo vel præsentiâ efficit diem. Neque lux qvā qvalitas *ἰδίως* potest esse dies, qvandoqvidem dies non qvalitas sed tempus est; manet itaque adhuc immò temper manebit, primævam, primo die à DEO factam lucem, fuisse substantiam lucidam, & qvia bona fuit, non desissee.

### SECTIO III.

**D**e formâ solis & lunæ, qvæ eruditis in genericam vel specificam, in substantialē vel Accidentalem dispescitur, disqvirendū erit paucis: Qvod primo omnium attinet istam, qvæ genericā appellatur, inest illa primigeniæ forma lucis cum soli tum lunæ, certo tamen qvodā cum respectu, ut magis materiei qvam formæ rationem habeat. Specifica deinde & substantialis forma, principiumque *ἐνεργητικὸν* solis & lunæ, per quam à cœlo, & à se invicem aliisq; astris distingvuntur, in hac corruptibili-

litate nos quidem latet, nihilominus & in hac intellectus cætitate formarum cognitio datur, si non distincta tamen confusa & aliquivalis; etsi non τὸ δῆλον; ad minimum tamen τὸ οὖν, hoc est, quæ per affectiones juxta ac operationes innoscit: Accidentalis denique forma affectiōnum nexu absolvitur & perficitur:

Verum enim vero, neque heic delunt, qui somniant astrorum formas haud αγνῶστα esse, quin potius utut falso attentant iis adscribere formas animatas, quos inter fuere Democritus, Thales, Heraclitus, atque ipse Pythagoras, cuius sententiam Virgilius Æneid. 6 profitetur hisce verbis:

*Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,  
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus  
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet*

Illorum itaque argumenta non displicet breviter tantum nunc allegare, Estque primum & quidem palmarium quasi, hoc contra nos ab iis directum (a) si Deus militiæ cœlorum h. e. astris adeoque soli & lunæ, quæ Jer 6. &

& 44 cap. *Regina cæli appellatur*, mandatum dedit Elajæ 43. sequitur utique illa non esse rationis expertia. At E. non enim præceptum nisi intelligenti datur, vel mandata exequi dicitur, nisi qvi ea intelligit. (β) si sidera non essent animata, sanè viliora essent plantis, & brutis abjectissimis. Atque absurdum est consequens E & Antec:

(γ) Si animæ sublunarium proveniunt ab astris, sequitur illa esse animata; *eausa enim Efficiens non potest dare alteri quod ipsa non habet*: sed animæ sublun: proveniunt ab astris E. Antecedens potest probari exemplo eorum qvæ ex putri nascuntur materiâ. Sed ut festinemus, paucis nosmet oppidò expediemus, consequentiam i. argumenti negando ob absurditatem; præcepit namque Deus in prima creatione terræ, ut plantas produceret; aquis pariter, quo pisces proferrent, & in unum locum congregarentur; omnibus viventibus ut crescerent & multiplicarentur; Ergo ratione prædita sunt terra, aqua &

& omnia viventia; qvam a. ἀπροσδιόνυσος:  
 Observetur itaque præceptum DEI ni-  
 hil aliud rebus inanimatis datum esse,  
 nisi efficacem DEI voluntatem, qvâ,  
 cum iis, & de iis facit qvicqvid voluerit.  
 Ad 2. qvoque responderemus negando con-  
 nexionem propositionis unâ cum assump-  
 tione simpliciter veram esse, possunt  
 namque sidera, indeque sol & luna ali-  
 quo respectu plantis, brutisque esse vi-  
 liora; aliquo iterum præstantiora & no-  
 biliora. Viliora qvidem sunt ratione  
 formæ, qvia inanimata sunt corpora;  
 plantæ verò & bruta animata; unde et-  
 iam Augustinus lib. de duabus anima-  
 bus, contra Manichæum, & muscam  
 ratione animæ, soli præferendam esse,  
 asserit. Contra à ea præstantiora bru-  
 tis plantisque sunt ratione materiæ,  
 multarumque affectionum & effeetio-  
 num, qvæ sublunari mundo longè magis  
 necessaria & utiliora sunt, quam hujus  
 vel istius plantæ, aut animalis commo-  
 da, qvalia aut quantacumq; illa tandem  
 sint.

3.m Qvod attinet, dicimus antecedens  
illius argumenti vacillare, simpliciterque  
non esse verum; constat enim omnium  
animantium & plantarum animas  
non ab astris; sed à plantis & animanti-  
bus juxta canonem physicorum: Effe-  
ctum determinat causa particularis non u-  
niversalis, itidem effectum ponit causa proxi-  
ma non remota, esse, qvibus, inqvam, a-  
nimantibus Deus benedicendo similis  
per semen propagandi vitm indidit. At-  
que sic hæc qvasi  $\tau\pi\mu\rho\delta\omega$  funto de  
solis & lunæ formâ dicta; jam instituti-  
ratio reqvirit, ut & de horum Planetar-  
um solis nimirum, juxta ac lunæ fi-  
ne agamus.

#### SECTIO IV.

**F**inis ergo Planetarum horum, cum  
quo & effecta concurrunt, est varius:  
Summus est illustratio gloriæ summi  
Opificis, cuius peculiare qvoddam ex-  
emplar etiam Psaltes nobis sistit in Psal:  
148. provocando cœlestia luminaria ad  
laudandum DEUM, verba illius ita ha-  
bent

sberit: *Laudate eum Sol & luna, laudate eum  
 omnes stellæ lucide; hominem etenim si  
 exceperis, nullum sanè ex visibilibus  
 operibus fere est, qvo Conditoris  
 illustrior fiat gloria, quam ex astris.*  
 Subordinatus finis est vel I.<sup>o</sup> principalis,  
 isque iterum Quadruplex i. Ut tanquam  
 illustrissimæ faces, luce suâ fulgentissi-  
 mæ, hæc sublunaria collustrent loca. 2.  
 Ut tempora describant, & tempestatum  
 efficiant vices. Unde etiam ipse DEUS in  
 hæc Gen. i. erumpit verba: *Sint lumina-*  
*via in firmamento, ut dividant diem à nocte,*  
*& sint in signa, & tempora, & annos, & dies.*  
 3. Ut in hæc sublunaria corpora tam ani-  
 mata quam inanimata agant, eaqve cum  
 aliis causis vel generent, vel conservent,  
 & varias emittant impressiones. Hunc  
 finem probat quotidiana experientia,  
 siderumqve in hæc inferiora perpetuus  
 influxus. 4. Ut rerum futurarum tam  
 naturalium quam civilium *τεκμήσα* sint.  
 Signa autem sunt vel rerum extraordinariarum,  
 utpotè Eclipsis tempore pa-  
 ssionis Christi. Solis statio tempore Jo-

suæ; ejusdemq; tempore Regis Ezechiari retrogressio. Vel ordinariarius veluti Eg. Veris, Æstatis, Fluxus ut & refluxus maris, arandi, seminandi, plantandi metendi &c.

2. Minus principalis, isqve & ipse spiritualis est, ut ad Astrorum imitationem, singuli, munia à DEO nobis demandata, animo indefatigato & constanti labore exeqvamur, omnibus insimul prodesse studeamus, haud aliter, ac indefessis cursibus suas sidera percurrent vias, mundumq; hunc inferiorem fovent & conservant.

## MOMENTUM TERTIUM

### SECTIO I.

**P**eraetâ sic Planetarum horum, solis videlicet & lunæ, descriptione; nec non cauarum expositione, breviter ad umbilicum perduetâ, ut fidem in initio factam, ratam servemus, jam ordinis ratio postulat, ut de cætero ad affectionum generalium, quantiatis scilicet, figuræ, lucis atq; motus, qvæ cæteris astris cum Planetarum principe communes sunt, confide-

ra.

rationem nosmet accingamus; ubi quoque de calore solis censemus nobis agendum.

## SECTIO II.

**Q**uantitatem non minus soli, lunæ, ac singulis aliis astris competere, testibus cum ratione, tum ipso sensu, clarius sole meridiano est. Sunt equidem sol & luna corpora naturalia, ideoque quantæ. *Nam omne corpus naturale, juxta reciprocationem Physicorum, est quantum.* Subsumo de sole & lunâ E. Qvæ licet cb nimiam distantiam, adeo ingentis molis haud appareant, tanta tamen cumprimiis solis, Mathematicorum calculo, probata magnitudo est, ut, lunâ existente minore, globo terraqveo, sol eundem plus centies excedat.

## SECTIO III.

**R**atione qualitatis seu figuræ dum sol & luna considerantur, constat sanè, imò cuilibet ad oculum patet, ex Opticorum demonstrationibus; nec non Eclipsibus, variisque simul Psasibus

lunæ, ea esse sphæricæ figuræ, & globosæ rotunditatis.

## SECTIO IV.

**L**ucem eamque summam præprietatis soli, indeqve limitatam lunæ, ac cæteris astris competere, nemo, *cui modo mens sana in corpore sano, inficias ibit:* Utrum vero illa lux sit nativa omnibus sideribus? est qvâ de re variant Auctores, ideoqve multi eorum, qvod omnia sidera tantum noctu & non interdiu sub aspectum cadant, in negantium castra sese conferunt; Contra illos autem, nos, nominatæ qvæstionis affirmativam, defendere conamur, adsignantes singulis astris, propriam, atqve nativam lucem, idque visus frequentium Argumentorum: 1. Si omnia astra sunt primitus à Deo, ex luce primogeniâ, creata, seqvitur utique illa omnia, naturâ esse lucida. Antecedens est immotæ veritatis. E. & consequens est, illa nativâ, scilicet gaudere luce. 2. Qvod plurima sacrarum Pandectarum loca ad-

scri-

scribunt soli, lunæ, aliisque in expan-  
 so locatis sideribus; id extra omne  
 dubium, illis est tribuendum: At S. Pan-  
 dectæ appropriant sideribus nativam  
 & concretam lucem, E. Consequenti-  
 am probat Gen. 1. Ubi Deus de stellis  
 in genere loquens, Sint, inquit, in cœ-  
 lo luminaria. Creavit proin summus  
 ille rerum ~~mundus~~ in cœlo luminaria;  
 non vero post creationem, lucis solaris  
 communicatione, eadem fecit. Cui  
 Gen. 1. etiam Esaj, 30. cap. 26. suffra-  
 gari videtur & quidem hisce verbis:  
*Et erit lux luna, sicut lux solis.* Idem  
 probat quoque Ezechielis 32. v. 7. ubi;  
*& operiam, inquit Deus, cum extingvam*  
*te, cœlos, atratasque reddam stellas eorum:*  
*solem nube operiam, & luna non faciat, ut*  
*deuceat lux sua.* Quibus verbis, lunæ lux  
 propria attribuitur expressè, tantum-  
 que gradus I. Cor. 15. indigitantur, per  
 quos stella differt à stellâ, sicuti per  
 gradus quoque ipse Deus Gen. 1. distin-  
 gvit sidera à se invicem, eadem majo-  
 ra, & minora luminaria appellando:

Qvod autem cætera astra, sicuti Dux illorum, Sol nimirum, interdiu æque ac noctu conspici nequeant, ad id respondet subtilissimus ille Scaliger, hunc in modum differendo Exercit. lib 2. S. S. I. Interdiu stellæ non lucent, id non, ut ajunt, quia solis radiis extingvuntur, extingverentur enim etiam noctu, quandoquidem semper in ejus radiis sunt: Sed est, inquit scaliger, alia causa; quippe illustratum medium recipit speciem valentiorum, id est, solis lucem, qvod sit efficacius objectum oculorum. Qvocirca minor atque debilior species, qnæ est siderum lux, non extincta sibi, sed delata per medium, non sentitur.

## SECTIO V.

**O**btento jam in sectione proximè præcedenti. Solem & lunam esse corpora lucidissima; verbo saltrem uno alterove, anteqvam utriusque tam lunæ qvam solis εὐλιψεων, inquantum ad physicam spectant, aggredimur explicacionem, placet solis attingere calorem, unde calidus, immò omnium stellarum, tam

tam fixarum quam planetarum calidissimus jure meritoque salutatur; Calorem quippe sequentia S. S. loca huic fulgentissimo Mundi, ceu Orpheuseum vocat, oculo adscribunt videl. Psal xix. 7. & cxxi. 6, Exod. xvi. 22. 1. Sam. xi. 9. Neh. viii. 3. Esaj. xlix. 10. Jonæ. 4. v. 8. Marci 1. 6. Jacob. i. ii. Verum enim verò, siquidem lis adhuc dum hæret sub Judice, an idem calor, de quo controvertunt philosophi, erit soli adsignandus ἐνηγρεῖταις aut παραγένεταις, subjectivè an effectivè, non sumus nos heic, cum brevitati animus sit studere, adeò solliciti: Ideoque adscribentes duntaxat, non minus lunæ, quam soli, motum, maturamus ad Eclipsium, quæ à præpositione monosyllâba *en*, & verbo *λέπω* linquo; componitur, brevem enodationem.

## MOMENTUM QVARTUM

### SECTIO I.

Eclipsin igitur, cuius in limine disscursus hujus, σκιαγραφίας aliqualem

promisimus nos subjuncturos, quatenus illa est physicæ considerationis, & accidit cum soli, ut potè Maximo lumenari, tum etiam lunæ; ut minori brevi brachio non displiceret aggredi ita tamen, ut *Εὐλιπσεως lunaris tractatione*, ad calcem reservatâ, obiter solum primum describamus solis Eclipsin, quæ talis: *Εὐλιπσις solis est obscuratio apparen-  
quâ lumen ejus ab aspectu nostro avertitur  
facta à lunâ intercedente inter solem & vi-  
sum nostrum*, quæ definitio constat gene-  
re & Differentia: Genus est obscuratio  
cui discriminis ergo subiectitur parti-  
cula, apparet, neque sine causa; quan-  
doquidem nulla propriè sic dicta ob-  
scuratio, quæ solem lumine aliquo spo-  
liat, in eum physicè cadere potest. Dif-  
ferentia desumpta est à Causâ efficien-  
te & Formâ. Efficiens est *μαργένθεος lunæ*, inter ipsum solem & organum  
nostrum; quoniam luna sit tantæ den-  
sitas, ut lumen solare eam penetra-  
re nequeat, sit facile, ut, diametraliter  
soli & aspectui nostro interposita, faciem  
phœ-

e phœbi à nobis avertat, adeoque lucem  
8 obtenebrare videatur. Forma consi-  
stit in aversione luminis solaris, neque  
in Eclipsi illi aliquis, respectu luminis,  
sibimet in creatione in plantati, defectus  
accidit: nobis tamen, tantum *Φαινομένως*  
quasi, deliquum aliquod admittere,  
ideoque obscurari putatur; interjectio  
enim corporis lunaris ad nos vibrati-  
onem lucis impedit atque prohibet; non  
secus ac manus interposita ardenti  
candelæ, & oculis nostris, avertit lu-  
cem à nobis; unde candela quasi Ecli-  
psin patitur. Sed si quis quærerit, qvan-  
do, & quo pacto Eclipsis solaris fit?  
Respondemus Eclipsin solarem non ni-  
si in novilunio fieri posse, puta natura-  
liter. Qvia solum in Novilunio & non  
alibi luna soli conjuncta solare lumen  
à nobis avertere potis est. Deinde quo-  
que liqvidò dispalescit, Eclipsin non, ni-  
si luna se rectilineè, seu quod idem,  
diametraliter habeat ad solem aut sal-  
tem parum ab eo recedat, contingere  
posse. Hoc enim, nisi fiat, Eclipsin

planetarum ille princeps, ne qvidem apparenter sic dictam, admittit. Conjunctionio autem hæc, Eclipsibus efficiendis apta, debet fieri in ipsis nodis, hoc est, in punctis, ceu Mathematici loquuntur, Eclipticæ, aut ad minimum proximè juxta nodos, in quibus curricula solis ac lunæ, se intersecant. Ast quod non in quolibet mense, cum tamen Sol & luna mensibus singulis conjugantur, contingant ejusmodi Eclipses, quænam sit, quæri solet, causa? Nos autem bene observatis iis, quæ modo dicta sunt; respondemus in causâ esse conjunctionem, quæ singulis mensibus contingit, non semper in ipsis intersectionum punctis fieri. unde si noctis Regina luna, extra nominatos intersectionum hosce nodos, in latitudinem plus æquo divagatur, Phæbi nullam partem, dum præterit illum, stringere potest.

Admirantibus vero solis Eclipsin non esse semper æqualem; verum nunc majorem, nunc iterum minorem, quo-

mo-

modo qvis commode occurrere potest,  
qværitur? Resp. pro diversa lunæ cum  
sole συζεύξει seu coniunctione, nunc ma-  
jorem nunc minorem partem, aliquan-  
do etiam totum solem à nobis averti,  
qvæ tamen ut nonnulli volunt, sit sine  
mora, & in quibusdam certis locis:  
Nam si in ipsis punctis interlectionum  
Coniunctio fiat, ubi sensus noster &  
centra utriusque solis nempe, & lunæ  
proportionantur diametraliter, hoc est,  
secundum lineæ rectitudinem; tum  
lunæ corpus, qvamvis sole aliquot mil-  
lenis vicibus minus, interjectum aspe-  
ctui nostro & soli, faciem ejusdem  
nobis planè adimit: causa autem est  
ejus rei, ab una parte, solis à nobis ni-  
mia distantia & longinquitas, ab altera,  
lunæ propinquitas. Et licet nonnulli  
prætendunt solem non posse unquam  
totaliter, ideo qvod Sole totiens luna  
minor sit, à lunâ obscurari, ejusmodi  
tamen opiniones planè nihil proficiunt  
hac in parte. E. g. Geminæ inter so-  
lem & oculos nostros interpositæ palmae

ex mediocri intervallo, aspectui nostro solem adimunt, nonne multo magis luna hoc idem præstare potest; sed instant forte nonnulli ulterius, dicendo palmas esse proprinqvas, remotam autem ipsam lunam. Nos reponimus has videlicet palmas esse parvas, maximam vero, harum respectu, lunam. Jam igitur quod ex propinqvo palmæ possunt, cur non luna id ipsum est longinquum queat.

### SECTIO II.

**U**t tamen sciamus, operæ est pretium, quotplex sit  $\epsilon\kappa\lambda\pi\tau\sigma\zeta$ : nimirum Totalis & Partialis; Universalis atque Particularis; illa dicitur respectu solis; hæc ratione soli. Totalis obscuratio certas duntaxat terræ plagas, quæ solis aspectu privantur, respicit. Universalis autem omnes concernit: illa Naturalis: hæc Præternaturalis.

### SECTIO III.

**F**acta sic distinctione inter Eclipsin Universalem atque Totalem, Naturalem

lēm atque Præternaturalem, facile jam  
qvoque colligere possumus, de illa magis  
qvam admirabili solis obfuscatione, quæ,  
Christo totius Generis humani Redem-  
ptore in cruce pendente, contigit, an  
illa fuerit naturalis? aut præternaturalis.  
Illam fuisse Universalem, fuisse insimul  
præternaturalem ex seqventibus rati-  
onibus in aprico est; Qvia 1. facta est  
non in Conjunctione, sed in oppositione  
lunæ h. e. non in Novilunio sed in ple-  
nilunio, ceu videre est Mar. 15. 42. Luc.  
23. 54. Incidit enim Paschatis celebra-  
tio in diem decimum quartum Men-  
sis primi, qvi אַבְיבָּ sive ιανουάριος dicitur, &  
Martio nostro respondet: ubi plena e-  
rat luna solique opposita 2. Universalis  
fuit Mar. 15. 33. contra Timplerum, qvi  
contendit illam Eclipsin ad solam Ju-  
dæam, contrarium tamen S. Sacrâ pro-  
bante Mar. 15. 33, pertinuisse. Ubi verba  
sic se habent: *Sextâ vero horâ factæ sunt*  
*tenebrae ἐτοι τὸν μὲν Luc. xxiii. 44.*  
*ἐφόλην τὴν μὲν:* unde etiam Michael Sin-  
gelus Eclipsin hanc appellat παγκόσμιον

magis spacio h. e. miraculum in toto mundo conspicuum. 3. A Duratione ejus, quæ trium fuit horarum Marc. 15. 33. Totalem autem ex adverso Eclipsin sine morâ contingere Mathematici testantur. Sed ne his nimis immoremur, etiam Coronidis loco obiter tantum attingimus Eclipsin lunarem.

#### SECTIO IV.

**E**clipsis lunaris, quando definitur, est privatio luminis solaris in lunâ, orta à diametrali terræ inter solem & lunam; interpolatione. Quæ Definitio absolvitur dupli- ci conceptu scilicet Convenientiæ, qui est privatio luminis: Unde confessim hanc passionem, in confessò est, fuisse non Apparentem instar solis, sed omnino realēm, quâ luce illâ mutuò acceptâ à lunâ expullâ, contrarium illius caligo videl: & tenebræ aliter ac in obscuratione solis fit, in locum substituuntur, ubi non corpus solare luce destituitur, verum nobis tantum adimitur lumen ejus, interveniente opaco corpore lu-

lunari. Discriumen igitur consistit, qvod soli sit lux nativa ac concreata, qvæ quidem interjecto corpore lunari averti, minimè tamen ab eodem expelli queat: aliter autem comparatum est cum lunâ, cui mutuatitium lumen est à sole; Globo terraqveo inter solem & lunam interjecto, radii à sole exslientes impediuntur, & à lunari corpore arcen- tur non aliter ac speculum, opaco aliquo, inter id & candelam interveniente corpore, desinit noctu fulgere.

Causa Efficiens vero conceptum Disconvenientiæ absolvit, estqve secundum rectam lineam, diametralis inter solem & lunam interpositio, qvæ distinguitur in plane exactam & non exactam: Exacta dicitur, ubi per Solis, terræ & lunæ centra, recta dari potest linea. Hæc Oppositio totalem reddit lunæ Eclipsin. Minus v. exacta appellatur illa, cum diameter per solis, terræ & lunæ centra non decurrit, sed neque procul ab iis abest: Unde Eclipsis plerumqve est partialis, qvia sol lunam aliquo lumine defundit. Ut

Ut autem eò clariora haetenus habita evadant, loco Colophonis quæri potest; qui sit quod singulis mensibus Eclipses lunares non contingant, cum tamen luna soli singulis mensibus opponatur? Respondemus hoc inde fieri, quod terra, medio suo inter solem & lunam interjectu, non ubique projiciat umbram Sphæricam, lunam pertingen-tem, præsertim tunc, cum hæc extra nodos istos seu puncta intersectionis Eclipticæ ab orbitâ lunari, longius ad latera digressa est, unde faciem ē di-ametro soli adversam ostendere nequeat, qua ratione etiam ista vice, objicibus umbræ terrenæ elulis, ab Eclipsi seu defectu immunis, liberè stadium peragrat suum. Quotiescumque autem ē regione, umbra terrea, à radiis solariis in figurâ conoidali circumscripta incidit in lunam intra angulos intersectionis, & in ipsa Eclipticâ colloca-tam, toties mutuatitum ejus à sole lu-men intercipit, necessitatemque deliqvium patiendi eidem injungit, pro-

diversa solis in apogæo distantia &  
nunc totale & longius; proqve in pe-  
rigæo propiore præsentia, nunc parti-  
ale & brevius. Hic tamen posset quis  
instare dicendo: *Causa naturalis est deter-.*  
*minata ad unum*, idemque semper agit,  
Eclipseos causæ sunt naturales. E. sunt  
determinatae ad idem effectum, unifor-  
miterque per consequens effectum dant.  
Sed Respondemus ad argumentum,  
limitando propositionem hunc in mo-  
dum: *Causa naturalis dicitur ad idem*  
*determinata esse effectum, donec eadem*  
*benè disposita retinet media & requisi-*  
*ta, sub quâ limitatione corruit minor.*

Arque heic jam subsistimus gratias  
agentes Deo Ter. Opt. Max  
solitâ δόξολογίᾳ.

*Gloria sit patri, Nato sit Gloria, Sancto*  
*Gloria spiritui, Triadi sit gloria Sacra.*

¶

# Enfaldig Rijm

Då

Philosophiae Berömblige Candidaten  
Chreborne och Högwällärde  
Heri HENRICUS BONERUS,  
Sitt lärda arbete om de Twå sto-  
ra världzens LIUS/ i liuset  
utgåå låt.

Den redligt wandra wil och bland de  
Lärda lysa/  
Mång Lius han bränner ut och grun-  
dar med stoor fljt  
Hur mörcka Adams sinn må bli upp-  
lyst med nijt  
För längter dag med Lius/ nu svettas  
måst' nu frysa/  
Ehr rjka sinnes Lius Her CANDIDAT  
besannar  
Då I så sinrikt talt om de tu stoore  
Liis/  
Som lysa jorden/ och bepryda him-  
lens Huus  
At I brändt up mång Lius dersör Ehr  
ingen bannar:  
Men

Men hvar man fågnar sig för det I E-  
dra dagar  
Eh spilt i fåfång praat; ty lyser Edert  
nampn/  
Vti de lärdaas Choor i råkad slusen  
hamn/  
Det wittnar Lagren / den vår Phœbus  
åth Chr lagar.

Til styldig tienst för-  
fattade

JOH: POLVIANDER S. F.

Til den samme

Den liuslig dag gäu an/ då Sohl och  
Mån os wijsas  
Med deras egenskap och högeligen pris:  
Af wijsheit CANDIDAT, som til det  
måhlet hint  
Oppo Parnassi högd / och Pindi bren-  
ta klint/  
At han et Heders Nampn/ til löön nu  
der besitter/  
För det han mōdan sig/ en låtit falla-  
bitter:

Mien

Men som ea råt Student, med lär  
domis ålfkand sin  
Med städig öfver trådt i Mäusers  
Hydda in/  
Ty fast jag en år wahn/ mitt sin till  
werser wända  
Och blij af Clio ledd/ har han doch  
welat sända  
Af lust til detta wärck/ de fägne ord  
hår til:  
BÖNERUS lycklig blir; ty Himlen så  
dant will.

SIN Högtåhrade Her Landz-  
Man/ med desse fåå rader  
önskar

FREDERICUS HOLSTIUS.  
Börneb:

